1514 Ex MS. Helsbergensi Episc. Varmie. 11 Julii. 731

187

Sigismundus DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux
Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæq &c. Dominus et hæres.

Reverende in Christo Pater et Domine sincerè devoteq Nobis dilecte!
Habemus gratias Paternitati Vræ Rndæ quod DEUM omnipotentem
pro nostris felicibus successibus cum suo Clero obsecrat et exorat; sic
enim confidimus, qd devotæ orationes Nobis proderint ad propellendum
hostem; Ideoq itidem cum Mojse incessanter faciatis, quando quidem
nos jam in Castra egredimur; Sclopetos verò in subsidium Nobis mis-
sos libenter accepimus; Munus certè gratum est et hac vice valde op-
portunum; hoc enim munere Paternitas Vestra Rnda testimonium
suæ in Nos fidelis observantiæ præbuisse videtur, ut eadem non so-
lum orationibus, sed etiam quibusvis ingeniis Nostræ huic necessitati
prodesse cupiat. Gratiâ enim nostra Vestræ Paternitati Rndæ
hanc voluntatem suam refundemus. Alia, Georgius Targowski
istuc veniens ex parte nostra referet. Ex Wilno 11. Julii Ao Dni 1514.

Commissio propria
Regiæ Majestatis.

Reverendo in Christo Patri Dno Fabiano
Episcopo Varmie, sincerè devoteq Nobis dilecto.